Gratiam & pacem.

Venit ad nos D. Hermannus Gotzenius, nuper, ut ait, pastor
Burbfeldensis, cum uxore & novem liberis, miserrimus & o-
mnium rerum egenus; præsertim testimonii ecclesiæ suæ & ho-
nestæ dimissionis à ministerio. Quo quidem factum, ut
cum in communionem ecclesiæ nostræ recipere, (quod absque
testimonio fidei & vitæ, ne in minimis quidem licet, secundum ec-
clesiæ nostræ canonem moremque receptum) atque adeo nec diaconis
nostris, magistratui, societatis justiciæ administrantibus, aliisque
probis, publico nomine commendare, neque ullam nisi extraordi-
nariam, opem ferre ipsi potuerimus, & vix valeare [illegible]
πικὸν eleemosynariorum & Ptochotrophorum hujus civitatis subsidium,
vicinorum quorumvis commiserantium, improbè ferè, pro eo, qui non-
dum biennium apud eos ut lex est, commoratus fuerat, sollicitudine
procurare. Quocirca rogatum velim, R. T. ut ei & uxori qui
ab ecclesia Burbfeldensi, sive ea auditâ à ministerio vestræ civita-
tis, sive classis aut synodi, testimonium quàm primùm transmittat,
de ipsius orthodoxiâ & uxoris quippe fide, & totiusque moribus: sive
absolutum, nempe si transacta sint ea apud vos, quæ commissa forte fue-
rint: sive cum notatione eorum, quæ nobis in ipso animadver-
tendaque corrigendaque esse, vobis forsan videbuntur. Ut ea cum ratio-
ne habita, miserrimo symmistæ consulamus, succurrimus, &
cum si expetierit, sistamus, dictis administratoribus, atque promovea-
mus ad ecclesiasticam scholasticamve quandam functionem, sive
ad Mathesin, sive in alium quemvis Bataviæ nostræ in India colo-
num. Quam quidem profectionem, uti ego ei suadeo, ita persuasurus
eidem, si sibi suisque aliquo modo consultum velit, neque mathematica
quam sibi suadet, victoria frustrari sese victus inopiâ victum omni-
no præsumat. Testimonium itaque si præstiteris, rem nobis omnibus,
fratri, & familiæ afflictissimæ ex animo condolentibus, gratissimam,
& charitati vestræ non indignam feceris, & me meosque ad consimile
officium obligaveris. Vale vir reverende, & reverendis viris D. D.
Martinio Isselburgio, cæterisque collegis salutem plurimam dicito.
Dabam permissu presbyterii, Amsterdami VII Calendas Majas
Ao. Dom. 1624.

Tuus omni officio.

Adrianus Smoutius. Ecclesiastes
Amsterdamensis.

[Re]verendo, Clarissimo doctissimoque viro
D. Ludovico Crocio sacrosanctæ
[the]ologiæ professori & ecclesiastæ Bre-
mensi.

23 april. reddita p. Villermannum.

1624. VII. Cal. Maj. Bremen.